



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus X. vtrum plenitudo gratiæ sit propria Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

quantum ad virtutem gratia plene habuit gratiam: quia A
habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratia. Et
hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam
vniuersali principio in genere habentium gratiam. Virtus
autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se ex-
tendit ad omnes effectus illius generis: sicut sol, qui est vni-
uersalis causa generationis (vt Dionys. dicit 4. ca. de Diui-
no.) eius virtus se extendit ad omnia, quae sub generatio-
ne cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiae attenditur in
Christo, in quantum se extendit eius gratia ad omnes
gratiae effectus, qui sunt virtutes & dona, & alia huius-
modi.

Ad primum ergo dicendum, quod fides & spes nominant
effectus gratiae in quodam defectu, qui est ex parte reci- B
pientis gratiam, in quantum scilicet, fides est de non visis,
& spes de non habitis. Vnde non oportet, quod in Christo,
qui est autor gratiae, fuerint defectus, quos important fides &
spes: sed quicquid est perfectionis in fide & spe, in Christo est
multo perfectius: Sicut in igne non sunt omnes modi cal-
oris defectui ex defectu subiecti, sed quicquid pertinet ad per-
fectionem caloris.

Ad secundum dicendum, quod ad gratiam operantem
per se, pertinet facere iustum: sed quod iustum faciat ex
impio, hoc accidit ei ex parte subiecti, in quo peccatum inue-
nitur. Anima Christi igitur iustificata est per gratiam ope-
rantem, in quantum per eam facta est iusta & sancta à prin-
cipio suae conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut e-
tiam non iusta.

Ad tertium dicendum, quod plenitudo gratiae attribuitur
anima Christi secundum capacitatem creaturae non autem
per comparisonem ad plenitudinem infinitam bonitatis
diuinae.

COMMENTARIUS.

Titulus articuli sufficienter à D. Thom. explica-
tur, cauendus tamen est Caietanus, qui in hoc
articulo & sequentibus conatur accommodare D.
Thomam ad suam sententiam de tali plenitudine
& intensione gratiae Christi, vt etiam de potentia
absoluta non potuerit esse maior, quod quam sit à
D. Thom. alienum constat ex sequentibus. Nunc
supponatur D. Thom. loqui de plenitudine gratiae
simpliciter, tam in perfectione intensiua, quam ex-
tensiua, in ordine tamen ad potentiam Dei ordina-
riam, non absolutam.

b Hoc supposito affirmat D. Thom. in Christo fu-
isse plenitudinem gratiae simpliciter, quam assertio-
nem tamen perspicue declarat & confirmat, vt nihil hoc
loco addere oporteat. De solutione ad primū mul-
ta in superioribus dicta sunt. In solutione ad secun-
dum notetur primò quod D. Thom. ait animam Chri-
sti fuisse iustificatam per gratiam operantem: gratia
enim operans apud D. Thom. significare potest vel
motionem & auxilium Dei quo primo mouetur ho-
mo, vt se disponat ad iustificationem, vel infusio-
nem ipsius gratiae habitualis, per quam iustificatur.
Ethoc posteriori sensu hic loquitur D. Thom. nam
argumentum, cui respondet de gratia habituali pro-
cedebat. De priori verò sensu, seu quomodo anima
Christi fuerit iustificata per propriam dispositio-
nem tractat infra q. 34. art. 4. & non nihil dicemus
q. 19. agentes de merito Christi. Notetur secundo
quod D. Thom. ait animam Christi ita fuisse iustifi-
catam per gratiam habitualement, vt nec fuerit antea
peccatrix, neque non iusta, & de priori quidem parte
nihil est quod dicamus: posterior vero intelligenda
videtur de priori tempore seu duratione, nam se-
cundum naturae ordinem necessario videtur dicen-
dam fuisse factam iustam ex non iusta, quia in omni
mutatione vel productione necesse est terminum à
quo natura antecedere terminum ad quem, & ita
loqui solemus de Angelis & de homine in sua crea-

Fr. Suarez. Tom. II.

tione iustificatis. Addi verò hic potest, quoniam ser-
mo praesens est de iustificatione per gratiam habi-
tualement, animam Christi non fuisse per illam gratiam
factam iustam ex non iusta, quia ordine naturae in il-
la anima iam praecesserat altior gratia per quam erat
sanctificata, vt supra dictum est, in quo superauit
anima Christi Angelos & Adam: vnde terminus à
quo huius iustificationis animae Christi non fuit ca-
rentia sanctitatis simpliciter, sed creatura, & hanc so-
lam verum est ordine naturae antecessisse.

In solutione ad tertium ait D. Thom. plenitudi-
nem gratiae attribui animae Christi secundum capa-
citatem creaturae quod videtur difficile, quia vel lo-
quitur de capacitatem naturali, & hoc non, quia nulla
est respectu gratiae: vel de obedientiali, & hanc non
potest impleri, quia in infinitum progredi potest. Responsio.
Respondetur sermone esse de capacitatem obedientia-
li, & de plenitudine eius secundum potentiam ordi-
nariam, non absolutam, vt in titulo explicatum est,
accommodanda vero est hanc doctrinam intentioni
argumenti, procedebat enim argumentum de do-
nis gratiae secundum se, id est (vt bene Caieta. nota-
uit) non vt sunt qualitates creaturae, sed absolute vt sunt
formales quaedam perfectiones, vt sunt Charitas,
Sapientia, &c. In his vero donis sic abstractè con-
sideratis duplex plenitudo intelligi potest, alia vocari
potest per essentiam, & huius non est capax creatura,
sed solus Deus: & ideo ait D. Tho. non tribui hanc
plenitudinem per comparisonem ad plenitudinem
infinitam bonitatis diuinae: alia vero dici potest ac-
cidentaliter accommodata perfectioni creaturae iuxta
capacitatem suam, & de hac plenitudine explicatur
plenitudo gratiae Christi in sensum iam dictum.

ARTICVLVS X.

a Virum plenitudo gratiae sit propria Christi.



D decimum sic proceditur. Videtur quod
plenitudo gratiae non sit propria Christi. 32.
Quod enim est proprium alicuius, sibi soli
conuenit: Sed esse plenum gratia, quibus-
dam alijs attribuitur: dicitur enim Luc. 1.
Beata Virgini, Ave gratia plena, dicitur etiam Act. 6.
Stephanus plenus gratia & fortitudine. Ergo plenitudo gra-
tiae non est propria Christo.
2. Præterea, illud quod potest communicari alijs per Chri-
stum, non videtur esse proprium Christo: Sed plenitudo gratiae
potest communicari per Christum alijs: dicit enim Apost.
Ephes. 3. Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ergo
plenitudo gratiae non est propria Christo.
3. Præterea, status viae proportionari videtur statui patrie:
Sed in statu patrie erit quaedam plenitudo: quia in illa celesti
patria, ubi plenitudo est omnis boni, licet quaedam data sint
excellenter, nihil tamen possidet singulariter, vt patet per
Greg. in hom. 7. de centum ovis. Ergo in statu viae habetur
gratia plenitudo à singulis hominibus: Et ita plenitudo gratiae in Euang.
non est propria Christi.

E Sed contra est, quod plenitudo gratiae attribuitur Chri-
sto, in quantum est vnigenitus à Patre: secundum illud
Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum
gratia & veritatis. Sed esse vnigenitum à Patre, est pro-
prium Christo. Ergo & sibi proprium est, esse plenum gratia
& veritatis.

b Respondeo dicendum, quod plenitudo gratiae potest
attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipsius gratiae,
alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem
ipsius gratiae dicitur esse plenitudo gratiae ex eo quod ali-
quis pertingit ad summum gratiae, & quantum ad es-
sentiam & quantum ad virtutem, quia scilicet habet
gratiam & in maxima excellentia, qua potest haberi, &
in maxima extensione ad omnes gratiae effectus, & talis
gratia plenitudo est propria Christo. Ex parte verò subiecti
gratiam

gratiam habentis, esse dicitur gratia plenitudo, quando A quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, siue secundum intensiorem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum prefatum ei a Deo, secundum illud Ephes. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: Siue etiam secundum virtutem: in quantum scilicet habet facultatem gratia ad omnia, que pertinent ad suum officium siue statum, sicut Apostolus dicebat Ephes. 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hac illuminare omnes, &c. Et talis gratia plenitudo non est propria Christo, sed communicatur alijs per Christum.

Ad primum ergo dicendum, quod Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratia: quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratia: sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet mater Vnigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia, quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quod esset idoneus minister & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de alijs. Harum tamen plenitudinum una est plenior altera, secundum quod aliquis est diuinitus preordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.

Ad secundum dicendum quod Apostolus ibi loquitur de illa plenitudine gratia, qua accipitur ex parte subiecti, in comparatione ad id, ad quod homo est diuinitus preordinatus. Quod quidem est vel aliquid commune, ad quod preordinantur omnes Sancti: vel aliquid speciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc quaedam plenitudo gratia est omnibus sanctis communis, ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam æternam, que in plena Dei fruitione consistit: & hanc plenitudinem optat Apostolus fidelibus, quibus scribit.

Ad tertium dicendum, quod illa dona, que sunt communia in patria, scilicet visio, comprehensio, fructio, & alia huiusmodi habent quaedam dona sibi correspondentia in statu via, que etiam sunt communia omnibus Sanctis: Sunt tamen quedam prerogative Sanctorum in patria, & in via, que non habentur ab omnibus.

COMMENTARIUS.

Proprium vno modo distingui potest ab extraneo vel aduentitio, & hoc modo sensus questionis esset, an gratia conueniat Christo ex se seu ex proprijs, & hoc sensu non tractatur hic a D. Thom. sed infra artic. 13. & a nobis sæpe iam dictum est: alio ergo modo proprium distinguitur contra commune, & hoc modo hic queritur, an plenitudo gratia conueniat Christo & non alijs.

b Responso D. Thom. est plenitudinem simpliciter tam intensiuam quam extensiuam esse propriam Christi, qui gratiam habuit cum maxima excellentia & virtute, que conuenire potest ipsi gratia secundum se, plenitudinem autem secundum quid seu ex parte subiecti alijs communicari. Quæ posterior pars per se clara est & satis a D. Thom. tractatur. Prior vero intelligenda est secundum potentiam Dei ordinariam iuxta dicta in principio articuli precedenti, & sic non habet difficultatem.

Solutiones argumentorum nulla expositione indigent. Sed præsertim obseruatione digna est solutio ad primum, propter ea quæ in sequenti tomo de plenitudine gratia Beatissimæ Virginis explicabuntur.

* *

a Verum Christi gratia sit infinita.

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod gratia Christi sit infinita. Omne enim immensum, est infinitum: Sed gratia Christi est immensa: dicitur enim Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, Filio, scilicet Christo. Ergo gratia Christi est infinita.

2. Præterea, Effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam, que non potest fundari, nisi in essentia infinita: Sed effectus gratia Christi est infinitus: extendit enim se ad salutem totius humani generis: ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris & totius mundi: ut dicitur prima Ioan. 2. Ergo gratia Christi est infinita.

3. Præterea, Omne finitum, per additionem finitipote peruenire ad quantitatem cuiuscunque finiti. Si igitur gratia Christi esset finita, posset alterius hominis gratia tantum crescere, quod perueniret ad æqualitatem gratia Christi, contra quod dicitur Ioan. 28. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum: secundum quod Gregorius ibi exponit. Ergo gratia Christi est infinita.

Sed contra est, quod gratia est quiddam creatum in anima. Sed omne creatum est finitum: secundum illud Sapient. 11. Omnia in numero & pondere & mensura dispositi. Ergo gratia Christi non est infinita.

b Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, * in Christo potest duplex gratia considerari. Una quidem est gratia vnionis: que sicut supra dictum est, * est ipsi vniri personaliter Filio Dei, quod est gratis concessum humane nature: & hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Alia vero est gratia habitualis, qua quidem potest dupliciter considerari. Vno modo, secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est quod sit ens finitum: essentia in anima Christi sicut in subiecto: Anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam: unde esse gratia cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratia. Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratia: & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratia pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia conferretur anime Christi, sicut cuiusdam vnus: alii principio gratificationis in humana natura: secundum illud Ephes. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo: Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam: non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet quicquid ad rationem lucis pertinere potest.

c Ad primum ergo dicendum, quod id quod dicitur, Pater non ad mensuram dat Spiritum filio, vno modo exponitur de dono quod Deus pater ab æterno dedit Filio, scilicet diuinam naturam, que est donum infinitum. Unde quedam glos. dicit ibidem. Ut tantus sit filius, quantus & Pater. Alio modo potest referri ad donum, quod datum est humane nature, ut vnatur diuina persona: quod etiam est donum infinitum. Unde glos. dicit ibidem, Sicut Pater plenum & perfectum genuit Verbum, sic & plenum & perfectum est vnium humane nature. Tercio modo potest referri ad gratiam habituale, in quantum gratia Christi se extendit ad omnia que sunt gratia. Unde August. hoc exponens dicit, Mensura diuina, diuisio quædam donorum est: alij enim datur per Spiritum sermo sapientia, alij sermo scientia: sed Christus, qui dat, non ad mensuram accipit.

Ad secundum dicendum, quod gratia Christi habet infinitum effectum: cum propter infinitatem prædictam gratia, cum propter vnitatem diuine persone, cui anima Christi vnita est.

d Adter-